



Tomus XIII  
Miscellaneorum Philoby.

*[Handwritten signature or initials]*

The  
Diff  
Gr  
In  
M  
Po  
Ex  
Per  
Ex  
Ch  
Se  
Al  
Ex  
C  
G  
Y  
D  
C  
I  
Ex  
Te  
Pa  
Ge  
Ex





CRUCIFIXO PRINCIPLE!  
 ΛΥΤΡΟΝ ΙΣΟΡΡΟΠΟΝ  
**DEO PATRI**  
**PRÆSTITUM:**

*SIVE,*

**Ignominiosissimam Jesu Christi**

*Passionem, quoad τὰ ἐν κύκλῳ in pauca  
 collatam,*

PRÆSIDE

**JOHANNES TOBIA MAJORE**

*Doctore Theologo, Professore Publico, & Fa-  
 cultatis suæ hodiè Decano,*

*Publicæ συζητήσεως χάριν,*

HORIS ET LOCÔ SOLITIS,

AD DIEM VII. MARTII

*Σὺν θεῷ exhibebit*

**M. SAMUEL BACKHUSIUS,**  
 CIZENSIS MISNICUS.

**F E N Æ,**

E CALCOGRAPHIO SENGENVVALDIANO,

ANNO, 240

*Merita patienti Christo DatVr gLoria,*



PARENTIS  
INCOMPARABILIS HEROIS SUBOLI  
INCOMPARABILIS SPEI,

*Præ-Illustri juxtim ac Generosissimo*

DN. OTTONI GUILIELMO

von Königsmarck / Comiti in Westerwick und  
Stegholm / Domino in Rotenburg und  
Neuhausen/

DESIGNATO FLORENTISSIMÆ SALANÆ  
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,

ET CAPITI DIGNISSIMO,

MUSARUM OCELLO

DISERTORUM DELICIO

ERUDITORUM OMNIUM SPECULO

AMUSSITATO,

Comiti & Domino suo gratiosissimo.

*Ut &*

*Ipsius Generositatis Oculissimo,*

VIRO JUVENI

*Excellenter erudito & Præ-Clarissimo,*

DN. EBERHARDO Graffen / J. U. C.

Favitori ac Mœcenati suo sanctè ultra cine-  
res devenerando.

PAUXILLAS HASCE

POSITIONES THEOLOGICAS

*demissè sacrat*

M. SAMUEL BACKHUSIUS, Poëta Cæsareus,  
Autor & Resp.





**A**Tque istas ex debito. Neque enim desipuit ille, & à veritate laurum promeruit, qui magna *magnos* decere, jam calculò suò pridem communivit.

Ecquid verò in totò Universitatis hujus theatrò *majus*? Ecquid præclariùs? Ecquid candidiori æternitatis albò digniùs, *passione* Filii DEI, *crudelissimâ blandi, gloriosi ignobilissimâ, injustâ justî*? Heïc verè singularia! Heïc singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia! Nam, nonne heïc magna *magni* DEI gloria? Gloria bonitatis miræ: Sapientiæ summæ: Sanctitatis perfectæ: Justitiæ infinitæ: Veritatis sempiternæ:

*Bonitatis* est, quòd inimicos in gratiam receperit.

*Sapientiæ* est, quòd tam divum & divinum remedium invenerit.

*Sanctitatis* est, quòd *λύτῃν* pro sceleratis adsumserit.

*Justitiæ* est, quòd prævaricatores extremè semper oderit.

*Veritatis* est, quòd in missione Filii promissis steterit.

Quæ singula me herclè prolixioribus *ἀκονίτι* evolvi possent, si non tam perspicua & clara forent, quàm Solem luce re in meridie, cùm sudum est.

Verum enim verò, cui mortalium commodiùs hujusmodi magna consecrare debuissim, quàm *magna*, & ad *magna nata Generositati Tuæ*? quam alteri Musarum *Apollini*? quam COMITI verè *comi & miti*?

Videlicet, qui cum *Illustri & Inestimabili* DN. PARENTE, tantum inter sobrios Magnalium DEI O.M. (quorum *νεφέλαιον* Dominica passio,) æstumatores, per omnem vitæ articulum, caput extulit:

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

A 2

*Magnum*



Magnum verò Nomen & Numen Tuum, eruditione & autoritate amplissime Domine GRAFI, utpote JCtorum solidum ornamentum, quod & veneranda, si quà futura, posteritas admirabitur, præsentis in simul argumento libens, lubensque præmittere & volui, & debui.

Volui, ut pristinum & adamantinum istum Tuum in ΜΕΣΙΤΗΝ amorem sub frontispiciò patefacerem: Hujus siquidem innumera numerò beneficia, per omnem vitam, quæ tranquilla, quæ modesta & Philosophica, ἀδιαλείπτως magnificendò, feliciter & constanter exseris.

Debui, ut gravioris causæ elaborationi, (quæ frigida, & penè nulla, utpote à mente & mentò juvene profecta,) maturiori illò judiciò, quò πῶνι μέτρω DEUS & natura, haut noverca, *Tuam Excellentiam* cumulavit, subvenirem.

Accipe itaque, accipe, *Comes laudatissime*, cum lectissimò Tuò *Eberhardò*, hoc quaecunque PIETATI ET VIRTUTI TUÆ, in famæ fanò, destinatum:

Accipe maximum liberalium artium munimentum, hocce parvum à parvissimò, quod mihi de suò Lucretius commodet. Accipe, & serenioribus hæc qualia qualia, cum devotò votò, quò cœlum nunquam non fatigo, conjuncta, pro modestiâ Tuâ respice:

VIVAT! VIVAT KONIGSMARCKIUS SENIOR!  
VIVAT! VIVAT KONIGSMARCKIUS JUNIOR!  
EX MERITO DESIGNATUS ACAD. RECTOR!  
PATRIS ET PATRIÆ SPLENDOR!

*Imò Verò*

VIVAT ET IPSIUS GRAFIUS,  
THEMIDIS FULGOR PERPETUUS!  
VIVAT UTERQUE ET VIREAT!  
VIVAT UTERQUE ET FLOREAT!  
VIVAT UTERQUE ET HABEAT

FORTUNAS OMNES CUM CRŒSO, ROSAS ASSIDUAS CUM PERSEO,  
VIRES VIRIDES CUM SETHO, PALMAS ÆTERNAS CUM IULIO!

O HE! O HE!

SIC SATIS.





Πρόδρον.



Ortis & pratis, quercetis juxtim ac senticetis majores minores sub vernō sidere, omnia quō florent, quō formosissimus annus, totos permulceri, τὸ κατ' ἐνιαυτον, ad unum omnibus edocemur. Floribus enim & herbis, & vel minutissimo cespiti, Universi hujusce directoris potentiā miram, miramamq; inesse Sapientiā & ἐτερόφθαλμοι nōrunt.

Nam sicuti cœli ipsimet gloriam Creatoris studiō inenarrabili enarrant: Pari ratione & *Macro-Cosmum*, quæque in eō se visui nostro conspiciunda offerunt, eandem plenō, quod ajunt, modiō & modō edifferere, & si non *formaliter*, *objectivè* tamen & *materialiter* ad minimum declarare, nemini facilè sanæ & sobriæ mentis, dubium subnascetur.

Trahit sua quemque voluptas, & suum cuius caput, ut pileus est: Mea voluptas PASSIO, CRUX & MORS unigeniti DEI Filii, ἡ μερίτῃ καὶ ἰκέτῃ ἡμῶν, cui longè plus pro Redemptione, quàm Creatione debeo, cum non profuerit nasci, nisi & redimi profuisset, fatente nectare & ambrosiā innutritō *Ambrosio* Tom. V. lib. 2. in c. II. Lucæ.

Hic lilia! Hic viola! Hic tulipa! Hic fragrantissimæ coram cœlesti Patre rosæ! Quin,

omnia & hic florent, hic formosissimus Unus.

Hic Candidus & Rubicundus meus! Cant. V. 9. *Rubicundus in passione: Candidus in resurrectione*, interpretante Hieronymo. in cap. LXIII. Esaiæ.

Hic amor meus, qui crucifixus, qui pro me ceu vermiculus tractatus! Quamobrem me haut omninō operam abusurum confido, si, crucifixō præviō, sanctam Filii DEI



crucem, h. e. innocentiam & mortem, καὶ τῶν λατρεύων, ruminaturus, Dominicam passionem, ὄντως θεῖον τι καὶ δαιμόνιον χεῖμα, quoad circumstantias poriores, sub exiguis nonnullis thesibus breviter & leviter delineavero.

I. Τῶ ἐαυτῶν δὲ χλω malos Genios non servasse, sed nobilissimum istud οἰκητήριον, ex liberrimâ voluntate, & nimiô arbitrii liberi abusu, ab initiô reliquisse, SS. pagina ad amussim loquitur.

II. Ab *initio*, inquam. Fors *creationis*? Nam ἀπ' ἀρχῆς peccavit. Joh. VIII. 44. Sed ne per febrim aut catharrum tibi somnies. Impius enim foret ac stolidus, haut cujus similem vidissent Sæcla priora, nec quantum, fuerint si posteriora, viderent, hujusmodi quid qui propugnaret. Nam ab initiô creationis DEus O. M. & *benè*, & *bona* fecit omnia. Ergo de *initio* potius *defectionis* id initii subsumendum.

III. Intelligimus autem *bonitatem* non *metaphysicam*, quæ cum ente retrò comitat, sed *moralem*, quod ex primâ Philosophiâ notissimum. Quâ concreatâ bonitate nefariô modô, ceu *rebelle*s exciderunt.

IV. Adeoque nulla maledictis aut *venia*, aut *gratia* spes amplius promittenda, quidquid etiam deliret cum Anabaptistis *Origines*, innitens Scripturæ dictis, quæ misericordiæ sempiternæ mentionem injiciunt. Conferatur *Aug. Conf.* & *Apologia* ejusdem Art. XVII. B. Gerhard. in Tom. II. LL. Theol. & in *Isag. Disp.* aliquot. Item laudatissimus Theologus, *Dn. D. Joh. Bened. Carpζovius*, in absolutissimi sui Systematis Theologici. Part. I. Art. VII. Aph. 13.

V. Quantumvis in S. Jesu nomine etiam *omne* genu coelestium, terrestrium ac inferorum se flectere debeat, monente Pau. ὁ, magnâ illa nascentis Ecclesiæ tubâ, Phil. II. 10. Nulô tamen modô τὸν υἱὸν θεοῦ isthæc cum *filiali*, sed *servili* potius *timore* à Diabolis perficitur, utpote qui DEum non  
ut



ut benignum *Patrem*, sed ut tremendum *judicem* verentur & reverentur.

VI. Simile simili gaudet, diverbium habet. Quemadmodum igitur boni Angeli, οἱ ἔ' Ἰησὺ ἐπαινεῖται, ἐπαινεταὶς delectantur: Eundem in modum Calumniator infernalis, similibus gaudet Calumniatoribus, qui sanctam S. DEI voluntatem pervertant, bonum quodvis impedian, & unà in damnatione *irrevocabili*, per omnes seculorum centurias, macerentur. Hinc omnem movit lapidem, ut *Evam*, sexus sequioris *radicem*, in Paradisō deciperet, quò tangeret & cederet de lignō scientiæ boni & mali, prout *arbor* ista *probativis* dicebatur, quâ in tanquam arâ Domini, & Scholâ Theologicâ scire & discere homo debebat, quid distent æra lupinis, h. e. quid bonum, & quid malum esset, indicante ex *B. Augustinō* *Dn. D. Chemnitio*, gravissimō h. l. Superintend. & P. P. in *Disputatione* de arbore scientiæ boni & mali §. VII.

VII. Antiquus siquidem & *personatus* serpens, lapsum hominis antevergens, (quod probabile,) in idem exitium, ex *invidia* Adamum & Evam, & nos in ipsis, præcipitare non erubuit. Unde cum suō illō ad fumum & fundum Acherunticum damnandō EDITE! EDITE! NON MORIENDO MORIEMINI! NEQUAQUAM MORIEMINI! Gen. III. 4.

VIII. Et sic apostata apostatas reddidit. Licet verbi divini ductu destituti, certò ad severare non queamus, quò die aut horâ *Apostasia* & lapsus commissus fuerit. Calculum enim nostrum non merentur *Ebraei*, contendentes, Adamum *ipsō creationis die* lapsum esse. Quod tamen & Augustissimo Hipponensium Episcopo arrisit, qui vix *sex horis* primos Parentes perstitisse censet in Paradisō, & secundum plerosque Rabinos circa vesperam die Sabbathi eodem expulsos fuisse. Nos subscribimus iudicio *Johannis Merzeri*:  
*Non diu videntur mansisse, quia mox post eorum formationem*

Scri-



*Scriptura commemorat eorum peccatum, & mox post peccatum ejectionem. Verisimile tamen videtur, eos aliquandiu ante peccatum mansisse, nec omnia eodem die peracta. Et hæc Philologus insignis & solidioris eruditionis Smaragdus.*

IX. Sed heus, nequam! *Ubinam est illud tuum nequaquam?* Ecce omnes morimur! Perit Adam, & in illò perimus omnes! Ecce, profundissimam omnium virium & facultatum corruptionem! En ignorantiam mentis! En voluntatis malitiam! En contumaciam cordis! Itané Diis similes evadimus? Imò pro scientissimis omnium ignorantissimi! pro imagine DEI, larva Diaboli! Tàm egregiè hominem, totius universi *epitomen*, centrum ac complementum, ô scelus, fascinâsti! *Hominem, qui ante excellebat intelligentiâ super Angelos, etiam supremi gradûs, nec quidquam de fomite hòc malò noverat; quæ explicatio illustris istius loci, R. Israël, filii Mosis, è Disputatione Cabalistica de animâ. cap. XXVI.*

X. Sed benè! *Tibi perniciem struxisti: Non mihi, non nobis.* Tu sine spe *reparationis*, æternis & ἀδιάρτοις, sub caligine & fuligine inferorum, vinculis reservandus. Epist. Jud. v.6. II. Pet. II.4. Nos verò, quos in *primiplastis* (Tertullianèum hoc verbum,) seduxti, gradum revocavimus. Nam pro ἀποσαΐα Adami veteris *novus* solvit, pro χοικῶ & *limaciò* *Adamus πνευματικός*. Non autem pro tuâ; Cùm non Φιλάγγελος, sed Φιλάνθρωπος Christus factus sit. Heb. II. 16. Imò, τὸ ἀπερόσληπτον, ἀθεράπευτον. Ubi non est, ut cum *sciolis* multùm rimemur, cur DEus tàm ἀρεβῶς cum Diabolis processerit, cùm tamen & Adamus & Diabolus *apostata*, vel ut cum Plautò loquar, *legirupa* exstiterint.

XI. Miramur, non rimamur, divinæ bonitati ἀδιαλείπτως gratias persolventes, quòd non *Angelos*, sed *Abrahæ semen* adsumserit Mediator.

XII. Nam



XII. Nam à priori nihil rationis solidioris didicimus. Cùm, veluti Vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus anima nostræ ad arcanam & occultam Dei voluntatem, ipsasque rerum formas, sese habeat, vel ipsò Archi-Philosophò autore. Lib. II. Metaph. cap. I. Quamvis à nonnullis ratiuncula à posteriori producat. Quòd videlicet Diaboli propriò motu & ausu, homines à Diabolo seducti, hujusmodi scelere se polluerint.

XIII. Alii distinguunt inter iram summam & temperatam. Dicentes, Luciferum iram summam, ab implacabili Judice profectam, damnasse, temperatam verò, & amore paternò mixtam, nobis obtigisse. Ad quod distinctionis fundamentum D. Chrysof. videtur respexisse, dum docet, DEUM gladium justitiæ oleò misericordiæ inunxisse. Ut & ὁ υἱὸς ἐν ἀγίοις Hunnius. In Tract. de Justif. Tomò I. col. 557.

XIV. Satis. In gratiam gratis sumus recepti. Gratis. Neque enim gratia ullò modò foret gratia, si non fieret gratuitò modò, exegesis est augusti Augustini.

XV. Modum autem hunc gratuitum cum Osterodò & aliis austeris & asperis, merito Christi non opponimus, sed legi, sed operibus.

XVI. Quà verò ratione gratiam prædicamus, cùm tamen gratia, vi rigoris divini, non locum tum obtinere poterat? DEUS sanè justus, imò ipsa justitia. Et legis violatio cum iræ divinæ reatu, nexu indissolubili erat conjuncta. Ergo ne contrarias DEO nostro voluntates adfinxerimus, ac si tot sceleratos, tot extremæ lineæ nebulones justò more haut castiget.

XVII. Absit! absit cœlites! Talium enim inquit Aristot. Lib. II. Magn. Mor. cap. 8. Dominum facimus DEUM, ut bona, malaq; meritis distribuat. Et autor lib. de mundo: c. 6. DEUS est lex ἰσοκλις, nullam correctionem admittens, vana itatem nullam, melior ac stabiliior illis legibus, quæ in tabulis per-

B

scripta



*scripta sunt.* Et profectò, qui secus sentit, is atrocissimam committit blasphemiam, *quam non libertini tantùm proferre liberi non ausint, sed vix etiam animò concipere Diaboli,* ut ex Chamiero Tom. II. Panstrat. libr. 3. cap. 10. §. 1. adserit D. Hildebrand. in Orthod. Declarat: p. 263.

XVIII. Interim tamen nihil doli subesse putamus, si *gratiam gratis datam, & gratos facientem gratiam,* cum Theologorum orthodoxyâ, plenis buccis & buccinis, *sanò sensu,* efferamus.

XIX. Non *absolutè* namque & *ἀπλῶς* hoc nostri defendunt, sed *κατὰ τι* tantummodò & *respectivè.* Nimirum: Grati DEO sumus, sed in *gratò,* sed in *dilectò.* Ephes. I. 6. E-ecti sumus, sed in *Christò,* extra quem *DEUS* nec ullum hominum ad vitam eternam elegit, ostendente D. Feuerborniò, in Syntagm. II. Diss. XXIII. p. 740. Et extra hunc nec jam, aut gratia, aut misericordia DEI erga peccatores, potest aut debet cogitari.

XX. Et hinc calculum nostrum nullatenus merentur ii, qui DEUM ab ipsò orbis fere initio, nullâ habitâ ratione *Mediatoris,* hominibus peccata condonâsse, nugantur. Quæ- ratur *Socinus* in Prælect. Theol. c. XVII. p. 88. Nam hic (Jesus noster,) semet *solus* in medium ponebat, sicut & *solus* torcular calcavit. Es. LXIII. 3. ut *partem extremè disidentem* cum Patre & Spiritu S. conciliaret, & nos, ad participandam sortem San-ctorum in luce, idoneos redderet. Col. I. 12. Et si DEUS absq; hòc peccatorem in gratiam adsumsisset, periclitaretur natu- ræ *sanctitas,* justitiæ *severitas,* inviolata *veritas,* & ipsamet le- gis adhæc *autoritas.*

XXI. Ubi tamen à divinissimo reconciliationis ope- re, *totam* venerandam Trinitatem minimè volumus exclu- sam, cum & Pater & Spiritus S. nos redemerit, *inchoativè* sci- licet & *ratione efficientiæ* licet non *terminativè* & *obedientiæ*  
*imple-*



impletione, sicuti ex Magistrò sententiarum, P. Lombardo demonstrat B. Meisnerus. Anthropol. S. Dec. III. Disp. XXVI. th. 61. Ubi quoque veterum similitudinem III. puellarum, quæ omnes uni quandam tunicam induant, introduxit.

XXII. Unde nata *tritissima* regula: *Opera DEI ad extra sunt indivisa, h. e. quando DEUS extra suam essentiam in creaturis aliquid operatur, tunc tres personæ sunt simul, & simul operantur*, exponente Chemnitiò in L. C. Parte I. fol. 40.

XXIII. Nec tamen propterea à *causæ sociæ* dicendæ sunt personæ Divinæ, inculcat divinè, ut omnia, *incomparabilis* noster Musæus, Disp. Theol. Part. I. Disp. III. §. 35. *Nam etsi in operibus ad extra simul operantur, non tamen per aliam atque aliam virtutem agendi, (quod ad causas socias requiritur,) sed per eandem planè indivisibilem potentiam operantur, ita ut ob identitatem potentia, quæ in qualibet personâ tota est, effectus totus dependeat, à Patre, totus à Filio, & totus à Spiritu Sancto. Vide hæc de re pulchrè differentem Augustinum, libr. de Trin. & unit. Dei, cap. 9. Hactenus ab ipsis gratiis & Musis educatus Dn. D. Musæus.*

XXIV. Itaque admirabile istud in oculis nostris & justitiæ & misericordiæ *temperamentum* utramque hîc paginam facit, quia iusta misericordia, & misericors justitia h. l. conjungenda.

XXV. *Unum* pro multis solvit caput, & moritur. II. Cor. V. v. 4. *Unus* justitiæ infinitæ *λύτρω* *ισορρόπω* strenè satisfacit. *Unus* animam ponit, obedientissimus Patri ad mortem usque crucis, h. e. ignominiosissimam. Phil. II. 8.

XXVI. Et *hujus* obedientiæ inflammatus Pater, omnem omnium inobedientiam remittit. *Unam* pro multiplici recipit & respicit prævaricatione.

XXVII. Obedientiam *unam*, notanter dico: Non *unicam*; Cùm obedientia Servatoris & activa & passiva sit *me-*



*ritoria.* Quam utramque *ἑορῆτως*, Apostolus Tarsensis, *act.*  
Rom. V. 18. disertissimis dedit.

XXVIII. Neque verò in presentiarum collutatum  
istud *Piscatoris Herbornensis* iudicium curamus, cum strigili  
hic utatur, & *activam* obedientiam ad Christi meritum &  
satisfactionem, pro nobis præstitam, haudquaquam admit-  
tat. Nam ipsi non *videtur*, eam ad nos pertinuisse.

XXIX. Quasi verò! Non *videtur ineptulo.* E. Obedi-  
entia hæc activa *ὁδὸν ὁδοῦ ἐπὶ*. Cæcæ rationi meæ multa,  
multa non esse videntur, quæ tamen sunt. Ita nuper nugi-  
vendulo cuidam florentissima hæc Universitas *Jenensis* nova,  
& Philosophi *Jenenses* Novatores videbantur. E. sic se res ha-  
bet. Egregia me herclè collectio! Logicò digna cōsequentia!  
Quasi Christus *ἑὸν ἑωπὸς* agendò culpam, patiendò poenam  
non sustulerit. Quasi *totus* mihi non natus, & *totus* in meos  
usus expansus non esset. Quæ S. Bernardi Serm. III. p. 71. col.  
1. confessio. Cui etiam Serm. II. p. 69. col. 1. suffragatur *ὁμο-*  
*est propter quod natus, propter quod passus.* Nihil horum propter  
*ψυχῆς*, dum ait: *Propter hoc circumcissus se, sed omnia propter*  
*electos.* Hæc Abbas devotissimus. Sed *Piscatori* è sociennis  
quoque Ludovicus Lucius, Professor, *Basiliensis* abundè sa-  
tisfecit. Nec non è nostris plurimi.

XXX. Lubentiâ autem lubentiores homuncioni lar-  
gimur, summam ad Mediatoris *ἰκανόντα* obedientiam, ju-  
stitiam & sapientiam spectâsse, sicut & utraque natura sancta  
fuit, & *divina & humana.* Divinâ, secundum quam essen-  
tialiter sanctus, quin & ipsa sanctitas.

XXXI. Sed quomodo secundum humanam sanctus? *Quidquid*  
*ex carne natū est, caro est*, si legem naturæ attendas? Sed audi.  
Ex carne Dei filiū natū esse, nemo negat. Nam in carne nobis  
*similis*, quanquam non *idem*: Carnem siquidem *similem* ha-  
buit, sed non *eandem* Sospitator, qui *τὸ ἀγιον.* Luc. I. 35. Sed  
utrum ex *peccaminosâ* carne natus forsitan? Ne credideris.  
Cum



Cum *massa ista virginalis*, ex qua λόγος sibi templum struxit, per Spiritum S. ab *omni* peccati originalis labe ac tabe perpurgata fuerit, ut uniri hypostaticè posset DEI filio.

XXXII. At *in lumbis seu femore* Adæ fuit? Fuit, sed non ex *natura sequelâ*, verùm ex *merâ gratiâ*. Fuit, sed non ut *agrotus*, verùm ut *futurus Medicus*. Fuit, sed non ut *legis servus*, sed ut *Dominus*. Cujus *nempc* fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad *incompactibilitatem* reducere, & id, quod *aquum*, rationiq; *consentaneum* erat, Patri *prestare*. Cum enim *Patris sit verbum*, & *supra omnes*, meritò etiam *solus omnia recuperare potuit*, & *idoneus fuit*, qui pro omnibus *pateretur*, & *apud Patrem intercederet*, cedrò digna sunt D. Athanasii, in Orat. de Incarnat. Verbi. Tom. I. p. 42.

XXXIII. Nunc, ut *lucidò ordine* procedamus, quæritur, *quis passus*, *quis crucifixus*, *quis mortuus*? Neque enim *merus* homo hæc talia & tanta peregit, cum peragere non potuerit. Sed *Jesus Christus* Ἰησὺς Χριστὸς in *utrâque naturâ* passus, crucifixus, mortuus, i. e. *DEus*, sive *Filius DEI* passus est ἐν σαρκί, in carne, velut eleganter *Petrus* explicat I. Epist. cap. IV. 1. Et Augustissimum nostrum *Symbolum* succinit: *Unus Christus, verè Deus, & verè homo, natus ex virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus*. A. C. Art. III. Vide sis Disp. B. D. Jacobi Martini de Christi persona & officiò.

XXXIV. Et hic de Christi persona & officiò *cardinalis & principalis articulus est*, de quò *cedere, aut aliquid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiamsi cælum ac terra, & omnia corruant*. B. Megalander *Lutherus* in Articulis *Smalcaldicis* nervosè monuit.

XXXV. *Scripturâ S. loquente, loquimur, tacente tacemus*. Si verò illa procedit passim: *DEus propriò sanguine redemit Ecclesiam* Act. XX. 28. *Autor vitæ interfectus*. Act. III. 15. *Dominus gloriæ crucifixus*. I. Cor. II. 8.



XXXVI. Procedit, sed adjectâ cautione. DEus enim ἀπαθής, & passio nequit Divinitati, quâ tali, competere. Ergo necessario infertur, quod passus fuerit secundum id, quod homo est, & quod impassibilis manserit, secundum id, quod DEus: Vel ut brevi sermone concludam: Passus est DEus in unione personæ, non est passus in proprietate naturæ. Siquidem passionis injurias etiam Divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro per sensit. Sicuti Solis radium, vel flammæ corpulentiam rectè dicimus, posse quidem gladiò secari, non posse tamen dirimi: Ita verbum DEI jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem ullò modò sensisse. Dicam adhuc manifestius. Confixa est Divinitas clavis, sed ipsa penetrari non potuit, sicut caro ejus potuit, siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit, nam Deitas indivisibilis atque impenetrabilis mansit. Ita ergo suscipiendò passiones, & earum non cedendò effectibus, apparet Deum verbum impassibiliter passum, sed quia caro ejus hæc omnia non solum protulit, sed & sensit & cessit, meritò ac jure dicimus, Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum, in carne suâ, sine sensu vel mutatione Divinitatis suæ; Ergo perferre passionem naturæ est utriusque, sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cum sit unius, ejusdemque personæ, graviter & graphicè Vigilus. Libr. II. contra Eutychem cap. 3. ωὐδὲ φερεῖται.

XXXVII. Quòd si ideò Deum passum, crucifixum, & mortuum proclamavero, ecquis prohibebit? Nam propter intimam, arctissimam & ineffabilem naturarum ὁμοῦ φύσιν non minùs passio, cruci ad fixio, mors & resurrectio ad Filium Dei pertinet, quàm si hæc omnia ac singula in ipsissimâ suâ divinâ naturâ, verè & realiter, sustinuisset.

XXXVIII. Cave intereâ tibi, cave, inquam, tritissimas phrasas: Christus secundum solam humanam naturam est passus. Et: Sola humana natura est passa; confundas. Certè, certè, sic in scyllam, charybdin vitaturus, incideres.



cideres. Phrasis enim prior est *orthodoxa*, & orthodoxarum nostrarum Ecclesiarum. Posterior *non item*, nisi cum granô falis.

XXXIX. Sed quò abripior? *Orthodoxam* vendito priorem, alteram *secus*, cum tamen & ipsa à nostratibus nonnunquam adhibita fuerit. Ast ambabus cedo, & quatuor, si forent, utramque fuisse usurpatam. Dixerunt: *Solam humanam* naturam esse passam. Sed non à veritate alienum dixerunt, ut adversarii. Nullibi enim *exclusivam personæ*, at Naturæ saltim alteri opposuerunt. Docuerunt ita: Sola humana natura est passa, & quidquid non est humana natura, non est passa, nam divina omnis destructionis expers, *impasibilis & immortalis*. Adeoq; pii & sani, in infanorum Theopaschitarum crimen neutiquam incurrerunt.

XL. Ab hujusmodi tamen locutionibus *abstractivis*, in primô communicationis genere, jure meritissimô nostrates hodiè abstinent, ne fors sub terminorum involucris cum maleferiatis ludant, aut futiles & inutiles *λογομαχίας* suscitent. Qui *ὅμοια λαλεῖν, ἀνόμοια φεγεῖν*, unà cum lacte maternô imbibere, sint frequentiores in hisce.

XLI. Sed insufurrantem nescio quem audiam: *Unus est Mediator inter DEum & homines, homo Jesus Christus*, I. Timoth. II. 5. Ergò non homo & DEus simul. Sed siste gradum modicè, siste & aureis arrige. *Diversa iterum phraseologia*. Longè, longè aliud: Homo Christus Jesus est Mediator. Et: Christus Jesus homo est Mediator. Hæc enim (posterior,) restringit *subjectum*, & secundum quam naturam prædicatum de *subjecto* efferatur, ostendit. Hic autem se res habet aliter. Nam alia propositio subest, quæ ab *ἐξωνοδιδακτω* effertur, ponitque *subjectum* ab humanâ naturâ, sed cum connotatione ad *hypostasin* denominatum. Id quod *popularis* meus non popularis, *Ampliss. atque Excellentiss. Dn. D. Hier. Krozmayer*



mayer P.P. Lipsiensis, &c. ante hâc in privatô Collegiô, super B. Gerhard. Aphor. pluribus accuratissimè probatum dedit.

XLII. Proinde Christianorum gregi id solatii uberissimi ubique altâ mente repositum maneat, quòd *Filius Dei* natus ex muliere. Gal. IV. 4. quòd Filius DEI semetipsum pro nobis tradiderit. cap. II. 20. Quòd DEUS mortuus, & placatus jam sit nobis peccatoribus.

XLIII. *Sciendum id nobis Christianis est*, scribit rursus Lutherus Tom. VII. VViteb. fol. 530. *nisi DEUS in alterâ lance sit, & pondere vincat, nos lance nostrâ deorsum (ad interitum) ferri. Hæc sic accipi volo: Nisi hæc vera sint: DEUS mortuus est pro nobis; & si solus homo pro nobis mortuus est: tùm profectò prorsus actum fuerit de nobis. At verò, si DEI mors, & quòd DEUS ipse mortuus est, in alterâ lance ponitur: tùm ille deorsum fertur: nos verò instar vacua & levioris lancis sursum tendimus, &c.*

XLIV. *Allæsin omnem ad autorem, insignem illum nugarum & absurditatum hamaxarium, Cinglium, remittimus. De quò laudatus Lutherus in Majori de Coenâ Domini Confess. fusiùs. Ubi inter alia perquàm scitè hæc profert: ἀδολώσις est larva Diaboli, quæ tandem talem Christum fingit, secundum cujus rationes ego certè nolim esse Christianus. Si enim persuaderi mihi patiar, ut credam, solam humanam naturam pro me passam esse, profectò Christus mihi non magni pretii Salvator erit, sed ipse tandem Salvatore eget, &c.*

XLV. Atque hæc omnia beneficiô unionis personalis. Quod (post articulum S. Trinitatis) summum est *Mysterium*, quò nullum majus in coelô & in terrâ reperitur. In cujus explicatione veteres Ecclesiæ Doctores duo hæc vocabula, *κοινωνία* & *ένωσις* conjunxerunt, & alterum per alterum declarârunt, annotantibus Dd. in Form. Conc. Declar.

XLVI. Dignissimi sunt S. *Antiquitatis* de hâc unione termini,



termini, qui penitus memoriae infigantur, quod videl: *Unio*  
illa facta sit *ἀδιαρέτως, ἀχωρίτως, ἀδιασπίτως, ἀσυγχύτως, ἀτέ-*  
*πλως, ἀναδιωκίως, ἀμεταβλήτως.* Qui licet in Codice nostro  
Biblicō quoad τὸ γράμμα, seu ῥητόν, haud reperiantur, quoad  
πράγμα tamen eisdem reperiri, nulli dubitamus. Consu-  
lantur in hac primâ circumstantiâ pl. venerandi Dnn. *Theo-*  
*logi Electorales* in aureâ & amusatâ illâ *Apologiâ* adversus  
Dnn. *Theologos VVürtembergenses Sect. II. c. 6.* ubi ex professō.

XLVII. Quæ cum ita sint, quid *Photinus*? quid alii,  
eandem cum eodem fabulam agentes, Si enim DEUS  
*sanguine* redemit Ecclesiam, ut redemit, cur depositâ fron-  
te *animalculum istud infectum ac lumbricum* (quod D. Epipha-  
nii Lib. III. Tom. I. Hær. 71. de Photinō præconium,) hoc di-  
rectum & immediatum nostrum salvantis fidei objectum  
concutere non erubescit, dum *merum internuncium*, & pu-  
rum putum interpretem coelitus demissum, Filium DEI fa-  
cit, ac si *tantum* prædicasset, *tantum* foedus cum homine pe-  
pegisset. Quæ insania immane quantum ab *ἑποτυπώσεσ ὑγια-*  
*νόντων λόγων* discrepat. Et quid ad infaustum illum *Faustum*  
*Socinum*, aut ut dicam quod res est, *Scotinum* veriùs? STAT  
SENTENTIA! *Secundum utramque naturam* dicimus, dice-  
musque, etiamsi coelum ruat, de totō Christō, quod homi-  
nes redemerit, quod Diabolum vicerit, quod leprosos sanâ-  
rit, quod mortuos suscitaverit, quod miracula multa edide-  
rit: Secundum divinam putâ ex *naturâ*: Secundum huma-  
nam verò ex merâ unionis *gratiâ*. Dicimus, dicemusq; Deus  
passus est, Deus mortuus est. Eia! Deus resuscitatus est. Sci-  
licet κατ' ἄλλο ut supra ostendimus. Ohe jam *satis!* Satis Chri-  
sti discipulis & fidelibus pignoris.

XLIX. Vel sexcenties malè habeat *Circulatorem*,  
quod pro fonte insons, justus pro sceleratis, pro improbi-  
mis innocentissimus patiatur. Ecquid ad nos? Sibi ferit, sibi  
metit.

C

XLIX. Sed



XLIX. Sed classicum canit. *Omniū nimirū gentiū iudiciis repugnare, alterū pro alterō puniri.*

L. Scilicet probè conclusisti nasutule! *Omniū gentiū iudiciis repugnat. iudiciis autem in tuō cerebellō formatis. Eōne tua progredi audet ignorantia, ut iudiciis, ut omniū iudiciis huiusmodi quid repugnare, ebuccines. Sed ante victoriam carmen triumphale meditaris. Ac si prolixam istam & difficillimam Scriptorum secularium lectionem sub ipsis ruditis ephebis absolvisses. Absolvisti, ecurr temetipsum instar soricis prodis, quando prolixum & satis credible testimonium de te hunc in modum prodis: *Quid exquisiti iudicii in eiusmodi Philosophicis ac Theologicis, iisque difficillimis Disputationibus expectari à me potest, homine, qui nec Philosophiam unquam didicit, nec (Scholasticam quam vocant,) Theologiam unquam attigit, & ipsius Logicæ artis, nil nisi rudimenta quedam, idque valdè serò degustavit? Nolo enim (sic pergit Confessionista,) te ignorare, plerasq; Disputationes mearum, quarum quedam non sunt editæ, scriptas à me fuisse, cum nondum Dialecticæ arti ullam operam dedissem. Quin & paulò post se XII. ætatis florentiores annos, eosque perpetuos, ab anno videlicet XXIII. usque ad XXXV. in patriæ otio, & partim in aulâ perdidisse, in Epist. p. 669. turpitudinis domesticæ allegator scriptitat. Lippis igitur & tonsoribus persuadeat τολιμὲς δεξιτέλων καὶ ερανομέτρης τῶν ἀνευδιηγῆτων. Nobis ad Calendas forsan Græcas. Aliter namque in forō soli, aliter in forō poli procedier, pridem concoximus. Aliter DEus, aliter homo iudicat.**

LI. Sed quorsum hæc disputo? *Quidnī, & alios ob alterius delicta castigari, consensum veterum habemus? Testis Hesiodus: Testis Persarum, Macedonum, Romanorum Historia: Testes tot obsides, testes & vades, reis se non sistentibus, ab humanioribus quoque gentibus capite truncati. Quidnī & sacra*



cra| Monumenta producere possemus, si chartæ angustia per-  
mitteret? Sed sufficit *Achan* sacrilegus, cum totâ domo &  
liberis vivi comburi<sup>o</sup> punitus. Jos. VII. 24. Sufficit *Davidis*  
*filiolus*, ex illegitim<sup>o</sup> thoro susceptus. II. Sam. XII. 14. In qui-  
bus valdè operosus magnus *Meisnerus*. Anthr. S. Dec. III. Di-  
sp. XXVI. Arg. 8. p. 263. Cui addendus *Hugo Grotius* de satis-  
factione Christi contra Socinum, aliique prælongo a-  
gmine.

LII. Unum me vellicat. Quî fit, quòd *B. Lutherus* ali-  
quando scripserit: *Lumine gloriae nos intellecturos, quò jure*  
*Deus possit immeritum damnare, quemadmodum lumine gratiæ*  
*nunc intelligimus, quò jure Deus salvet immeritos & peccato-*  
*res, quod tamen per lumen naturæ non capimus.*

LIII. Vexavit idem hoc *Arminium*, qui sanctis viri ci-  
neribus vehementer exprobravit, quasi cum *absolutariis* sen-  
serit, quem illi in ordinem modò *supra*, modò *infra lapsario-*  
*rum* redigunt, eò quòd hæc ipsa dixerit.

LIV. Sed illud commodè interpretandum est, siquidem  
loquitur de immerente ex nostra opinione, non autem in forò di-  
vinò, & actu judiciali, beatissim<sup>9</sup> Vir, in die decretoriò exercen-  
dò, ubi τῆ ἀποκρίσεως locus amplius non erit relictus, sed eum τὸ  
ἀνεξιχνίαστον obtinebit: Neque etiam de eò, qui absque ullò de-  
meritò jure ἀνεπισημασμένω, quò in morem absoluti Domini DE-  
us utatur, eoque pro arbitrato suo defungatur, damnetur. Re-  
sponsio est *Dn. D. Præsidis*, Theologi supra laudem positi, in  
Disp. de Jure divino, imputandi peccatum primum Adami-  
ticum toti generi humano. cap. I. §. ult.

LV. Sed ad alia. *Martyres* quidem Martyria & supplicia  
satis atrocita tolerârunt. De quibus luculenter Historia Ec-  
clesiæ. Sed multum, plus, plurimum discriminis & Ἰεραὶ Ἰρωπῆ  
dolores, & omnium S. Martyrum, post se relinquunt.

LVI. Nimirum: Christo congregiendum erat cum



morte nondum devictâ, sed quatenus conjunctam habebat  
flagrantissimam DE I iram, peccatis totius humani generis  
debitam, quæ initium æternæ mortis: Sed Martyres mortem  
per Messiam & devincendam & devictam, sibi habebant ob-  
viam, quæ non mors, sed somnus, sed requies, sed vita, & sem-  
piternæ gloriæ janua. Et quid? Martyres finitos, solus autem  
hic Dei filius infinitos sensit cruciatûs. Nam objectum infini-  
tum erat læsum. Cui eâ de causâ & infinitis doloribus, quos  
Μιλανθρωπῶς sustinere non poterat, satisfaciendum erat.

LVII. Et ne à veritatis regiâ me aberrâsse arbitraris,  
ipsemet Servatoris tui afflictiones sexcentas, angores & pa-  
vores innumeros, ἕνω καὶ κάτω volve, falsus sim, si non è ve-  
stigiô dictis subscribes.

LIX. Summam tormentorum ipsemet ὡς ἐν τύπῳ ad  
oculum posuit, Luc. XII. 32. ubi de ignominiâ, de illusionē,  
de conspuitione, de flagellatione, de quæ totali occisione  
παθητικῶς vaticinatus.

LIX. Doctorem discipuli, Magistrum Apostoli, Arietem  
oves, fideliter sequuntur, qui & ipsi prædecessoris dolores  
multivarios depingunt. Ubi tamen in quibusdam circum-  
stantiis, prout solent, variant.

LX. Variant, non errant. Nam qui errare potuerint  
honoratissimi amanuenses Φερόμενοι τῷ πνεύματι ἁγίῳ.  
II. Pet. I. 21. Ubi cui multum aliàs, nihil debemus Erasmo, qui  
sub Notis ad c. 2. Matthæi, spargere non veretur, Spiritum S.  
mentium Apostolicarum moderatorem, passum esse suos i-  
gnorare quædam ac labi, errare quæ alicubi, judiciô sive adfectu.  
Solutus, inquit, Christus dictus est veritas, unus ille caruit omni er-  
rore. Adfuit Spiritus divinus & D. Cypriano, ut est probabile,  
& tamen quædam illius rejiciuntur ab orthodoxis. Adfuit &  
Hieronymo, rejiciuntur & hujus nonnulla. Adfuit Augustino,  
atque ipse quædam sua recantavit. Prima quidem auctoritas  
debetur



debetur Apostolis & Evangelistis, sed fieri potuit, ut Christus occultò nobis consiliò, quiddam humanum in his qq. residere voluerit, perspicuus, hoc ipsum ad humani generis restitutionem conducere. Sed fallit & fallitur hìc Desiderius. Nam licet in verbis variant, in re tamen conveniunt.

LXI. Ad oculum autem patet, si *emphatica* & valdè penetrantia eorundem verba, non vulgari, sed aurificis, quod ajunt, staterâ expendantur, Christum *infernales* & *eternas* pœnas, nostri vice, persensisse. Id quod contra *Bellarminum* bellè tenendum. Nam *novam & inauditam impietatem* jactitat, talia de Christò usurpare. Lib. IV. de Christo, c. 8.

LXII. Easdem propè tibias cum Cardinali Dd. *Scholastici* inflant, qui passiones Dominicas ad *inferiorem* saltem animæ facultatem, seu partem *sensualem* restringunt, superiorem prorsus dementes. Sed ambo nihil faciunt ad *Andromachen*.

LXIII. A literâ S. paginæ non tam facilè recedimus. Unde ergò illa *ταραχή*. Joh. XIII. 21. Unde istud *ἐνθά μείραξ ἢ ἀδημονεῖν*. Matth. XXVI. 37. Unde anima ad mortem usque *ἠελυπῶ*? Ibid. v. 38.

LXIV. In præsidium tot planctus, tot ejulatus, tot clamores, fandò ac cogitandò miserabileis, advocarem, nisi omnia penè pulpita sacra, sacrò hòc tempore *quadragesimali*, de illis *ἰδίαισιν* sonar ent.

LXV. Et quæso, annon dolores infernales sunt deserri, destitui auxiliò DEI, nullam sentire vivificam consolationem, clamare & non exaudiri?

LXVI. Non possumus tamen quin inter passiones *infernales*, quantum ad *πῆ infernale*, & quantum ad *conditionem* sic dictas, h. l. limitemus. Nam *ταῖν ἀμφοῖν* damus, Christi dolores *quoad conditionem* verè infernales fuisse, licet non quantum ad *πῆ infernale*.

C 3

LXVII.



LXVII. *Aeterna* erant, sed non *aeternum* durabant. *Aeterna* erant, & aeternae morti aequipollentes, *ratione & scias*, & dolorum infernalium, in quibus mortis *esse* consistit. Sed *aeternum* durare nequaquam poterant, ob indissolubile *unionis* vinculum.

LXVIII. Sed quae *aequivalens* pretium Patri praestare potuit, si non plagas istas aeternales *aeternum* toleravit? At digito paulisper labellum compescito. Neque enim pretium redemptionis, a Christo persolutum, pensitandum ex multitudine aut *qualitate*, aut paenarum *diuturnitate*. Neutiquam! neutiquam! Excant haec ex hac aula! Verum ex personae infinitae *dignitate*, quae patiebatur, & ex *caritate* immensa, quae patiebatur, pretiosissimum pretium aestimamus.

LXIX. Ne vero tibi hicingas aliquam adfectuum *ἀταξίαν*, aut vel levissimam *desperationem*, quae damnationi *simpliciter & suppliciter* damnatorum immediatè adhaeret. Hinc, *ταρῆσθια* praevia, hypotheticè Patrem orabat, quò si possibile, poculum amarulentissimum transeat. Ubi voluntatem suam Patris perfectissimè, patientissimeque subordinavit. Matth. XXVI. 39. Quorsum etiam verba illa *amatoria & applicatoria*: DEUS meus, DEUS meus. Psal. XXII. 2, faciunt.

LXX. Tremebat & flebat, ut creatura etiam Creatoris lachrymas, *ἡσυχάζοντες τὸν λόγον*, (interprete Irenaeo,) abstergeret.

LXXI. Neque exiguas sanguinis *guttulas*, sed *θέρμους* emittebat. Luc. XXII. 44. In circumcissione ante primitias obtulerat, & *guttatim & stillatim* effuderat *ἐνέχυρον* seu solutionis pignus: Nunc autem plenas copias, seu *copiosè & ubertim*, ut magis plenaria fieret redemptio. Nam *χωρὶς ἀματην χυσίας ἢ γίνεται ἀφεσις*. Hebr. IX. 23.

LXXII. Si ex trito Poëtarum voto, centum linguas  
& ora



& ora centum expeterem, nondum tamen omnia pœnarum nomina, quas pro vilissimis Dominus tulit, percurrerem. Miror sanè, mi Jesu, quòd non citiùs mortem accelerarint tot flagella, tot flabra, tot vulnera. Quemadmodum non paucis evenerat, ut sævissimâ ministrorum sævitiâ *sub hujusmodi flagellis* subito animam exhalarint. teste Ulpianò t. de pœnis. Sed hæc hæctenus de altera circumstantiarum.

LXXIII. De *nobili*, quem minùs nobilem nequitiosissimi calones reddiderant, locò, quò *ἀσπίλῳ καὶ ἀμωῳ* tot & tanta pro nobis toleravit, ut multum nobis negotiū facessamus, operæ pretium non est, cùm & pueri decennales *Hierosolymam* loquantur. Interim qui Topographiam desiderat, & mirè & merè elegantis Paradisi cupidus est, antiquos ac fide dignos Historiarum Secretarios adeat.

LXXIV. Egregiam verò laudem refertis & ampla spolia, *Judei*, quorum auxiliis, vel perfidis potiùs insidiis, *Jehova*, justitia nostra, periit.

LXXV. Hanc enim gratiam paternis istis & centuplis beneficiis, in laborum fine, reportavit ab *adscititiâ* vestrà malitiâ, ut noctu, diu, de capite Messiaë ageretis.

LXXVI. Et hoc curarum fastigium, hic vertex, ut *bonum* & benè *meritum* citiùs feliciùs maclaretis. Neque verò ut maclaretis solùm, sed & ut funditùs memoriam nominis, è viventium solò & soliò, exstingueretis.

LXXVII. Nam inde illud ipsum LXX. Seniorum *ἀπολέσαι*. Matth. 21. v. 38. Id quod Ebræus cum *Syrò* ibidem egregiè pariter expressit, notante sapiùs laudatò *D. Gerharδο* in Hom. cap. 146. ubi videatur.

LXXVIII. Sed palliare non neminem perspicio recutitorum scelus ac portentum, in ultimas terras exportandum, quasi divini decreti *executores* fuerint.

LXXIX. *Adfirmanti* verò, ut nòsti, *probatio incumbit.*

Quò



Quò itaque Scripturæ S. dictò patefacies adsertum? Quò jota vel apice? Quòd, si vel *syllabam* produxeris, magnus mihi Apollo fueris.

LXXX. Chordâ autem eâdem olim *Cajani* oberrârunt, qui monstrum hominis, *Judam* proditorem excusantes, nugabantur, *divinum factum* & incomparabile beneficium fuisse proditionem. Quid? pergunt in deliriò deliri, mentientes, *Judam* præscivisse, quantum humano generi Christi *passio* esset profutura, referente *Augustinò* in lib. de hæres. c. 18.

LXXXI. Sed quis non veritatis zelò ob hæc palpantia mendaciorum plaustra excandesceret? Quis non cum Eliâ ultionem cœlò exposceret?

LXXXII. Præscivit *Judas*? E. fuit DEUS, quem neque præterita, neque futura latent, uti declaratio Form. Conc. probat, locò de Prædest.

LXXXIII. Largimur v. de facili, DEUM prævidisse & præscivisse hæc omnia, nam ipsius præscientia prævidet etiâ mala, antequam fiant, ut iterum ex d. l. Declarationis dispalescit.

LXXXIV. Sed multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate *Judæorum* est præcognitum, & quod de passione Christi est dispositum: Non inde procescit voluntas interficiendi, unde voluntas moriendi, nec de uno exstitit Spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris, observatu dignissima sunt Leonis, Serm. 16. de Pass. Dom.

LXXXV. Actiones ergò finibus sunt distinguendæ, & duo cum faciunt idem, non est idem. Alia autem actio sanguinariorum, alia DEI.

LXXXVI. Actio hujus *σωτηριῆ*: Illorum *φθαρτικῆ*, uti ex superioribus patet.

LXXXVII. Regcris: DEUS prævidit, & tamen non impedivit. E. Occasionem peccandi suppeditavit?

LXXXVIII. At mirabilis me Christe, *Dialectica*! Non impe-



impedivit. Quid inde? Nec impedire debuit, utpote liberri-  
mum agens. Et quò abripior? Insanum habent synciput, &  
aburdorum sunt absurdissimi, qui Deum optimm pessu-  
mas, sceleratissimasque etiam opiniones inspirare & effice-  
re, mentiuntur. Nihil enim bonus & justus rerum arbiter eò  
fine facit, ut homo peccet. At, clamas, providet occasionem?  
Providet: Sed non ut peccare faciat, verum ut peccatorem o-  
stendat, Autor operis imperfecti, Hom. XLIV. reponit. Illu-  
strat simili, & sanè non agresti: *Situ, ait, vitiosum compares  
servum, & volueris mores ejus scire, nonne pones ante illum sac-  
culum cum solidis, aut aliquem concupiscibilem cibum & si-  
quidem servus ille incontinens fuerit, & sine timore porri-  
gat manum suam, & accipiat inde? Nunquid male fecisti, aut  
nunquid tu coëgisti illum, ut faceret male? Non, sed propa-  
lasti malitiam ejus. Sic & D E U S, dans hominibus occasio-  
nem peccandi, si peccare voluerint, non illos facit peccare,  
sed manifestat pertinaciam cordis eorum.* Hæc autor ibidem  
iste. Conferatur Dn. D. Grauerus, ut & de Ecclesiâ Christi  
meritissimus Hülfemannus in Aug. Confess. art. XIX. Item D.  
Meisnerus in Schol. Academ. & supra laudatus Carpzovius in  
System. art. IX. ubi ex professô.

LXXXIX. Adeoque non Deus, sed ipse Judæus in cau-  
sâ perditionis suæ. Nam, *jubilare noluit, nunc ululare cogitur,*  
ut Augustini effatô utar. Benedictionem noluerunt fortunæ  
suæ fabri, *καληρωεσωποι καὶ καληρωεραχηλοι*, rugitu & mugitu  
istô suo:

חובה קטל'יה ברי שננ

veluti concinnè Chaldaicus Paraphraustes reddidit. B. Luth:  
Sein Blut komme über uns / und über unsere Kinder. Quâ de  
imprecatione gravissimâ gravissimè B. Hieron. in Epist. ad  
Dardanum, cap. CXXIX. *Ob quodnam facinus & execrabile  
scelus avertit Deus à te oculos suos? Ignoras? Memento vocis  
Parentum tuorum. Habes quod elegisti! &c.*

D

XC. A



X C. A Judæis verò Gentiles, complices, nedum ipse veritatis Daduchus exclusit. Luc. XII.32. Firmissime namque sibi persuasum habebant illi,

*Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,*  
hòc pactò prorsus actum, conclamatumque fore de Virorum novissimò. Quem tam atrociter atrocissimi exceperant, ut nulla species, nullus decor, nulla forma desiderabilis in Desideratissimò remanserit, ita, ut quoque Elementa, licet aliàs ἀναίσθητα ἢ ἀφωνα, hanc lamentabilem Creatoris vicem doluerint. Unde crucifixò *justitiæ Sole, Sol* obscuratus est, *Luna* non dedit lumen, *terra* contremuit, *petra* scissæ sunt, *monumenta* aperta sunt, & multa corpora *Sanctorum*, quæ dormierunt, magnò spectantium terrore, per orbem discurrere visa sunt, quod ex S. Passionis historiâ in vulgus notum.

X CI. Prata quidem nostra hautquaquam satis bibisse, perspicimus, cum & *nucleus* etiamnum in nuce lateat. Sed, de residuis, ante rivos quàm claudamus, ob pagellarum angustiam, παχυλῶς ἔπερισματικῶς.

### PORISMATA.

*Christus mortuus est, ut ter geminam mortem destrueret.*

*Passus, tum pro culpis omnibus, tum pro culparum pœnis, in quantum sunt pœna.*

*Ergò nullum peccatum, quantum ex parte Christi, est simpliciter irremissibile.*

*Fit autem tale, ex reluctantiâ Subjecti.*

*Peccatum dicitur Christus, non quia peccatorum commissor, sed quia susceptor fuit.*

*Pro reprobis & abnegatoribus etiam mortuus est.*

*Ab acquisitione autem ad applicationem N. P. C.*

*Sicut & Scriptura S. de duplici Salutis actu loqui amat.*

*Christus meritò suò salutem nobis meruit.*

B. Opera



*B. Opera igitur ad eam nec necessaria, nec pernicioſa.*  
*Ἰπποχράμμος ἔſt ſaltem ſecundarius Paſſionis finis.*  
*Chriſti paſſio fuit voluntaria & definita.*  
*Voluntaria. Nam nihil in Chriſtō coactum.*  
*Definita. Nam propheta diu praeviderunt.*  
*Ut fieret, nulli Autores fuerunt.*  
*Profuit, antequam fuit, Paſſio.*  
*Veteres non ſpe tantum, ſed & actu ſunt ſalvati.*  
*Nimirum, Ἀγὸ τῆς πίſτως, licet non Ἀγὸ πίſτω.*  
*Unio hypſtatica ne quidem in morte ſoluta.*  
*Totus Chriſtus fuit in infernō, ſed non totum Chriſti.*  
*Anima eius fuit extenſivè & intenſivè triftis.*  
*Chriſtus ad exiguum temporis ſpatium, noſtra ſalutis cau-*  
*ſa, eſſe deſiit homo vivus & univocè dictus.*  
*Trahit omnes ad ſe, ſi non βία, tamen γωμη.*

**A** Tque hæc talia ἐν παρόντι, ὡς τοῖς ἐν κύκλῳ  
 præmiſſa ſunto. Donec quid grandius ætas  
 poſtera, ſoiſque feret melior. Crucifixum interim,  
 ſive micet, Phœbus, ſive Selena, canam.

Δ. Τ. Θ.

**S**eu ſcribas numeros incluſus, ſeu pede liber,  
 demorſos ſcribis BACKHUSI! quod ſapit unguis;  
 Id quod ſat clarè me letemata ſacra loquuntur,  
 quæ Chriſtum ſiſtunt patientem, ſed redivivum.  
 Am ſanctos porrò moderetur Jova labores,  
 auſpice quò ſemel acceptum eſt auctoramentum;  
 Ut, quò contendis, ſtadium decurrere poſſis,  
 attingas metam victor, palmamque reportes.

*Eximie docto Dn. M. Reſpondenti ſaſventiæ fidem*  
*L. M. Q. ſignabam gratulabundus*

PRÆSES!

D 2

BACK-



**B**ACKHUSI mihi chare, chare Musis.  
 Verè dixero? Cujus ecce versus,  
 Et sensu lepidos & elegantes,  
 Nuper vidimus, atque ii Latinè  
 Scripti erant: Quod amare & adprobare  
 & vetus queat, & nova hæc Poësis.  
 Maçte. Tenè ego censeam hæc minora  
 Sic industriè habere? Te severè  
 Addictum Sophia, & libris Sacratiss?  
 Quos tractas Juvenis, virente in ævò,  
 Tali judicò, acrimoniâq;  
 Ætas ut Tibi vel senectâ cedat.  
 Vix lanugo tuas genas obumbrat,  
 Barbatos tamen ipse ego magistros  
 Te laceßere, quid laceßere? addam  
 Vidi vincere. Perge porrò, perge  
 Gnavus. SIC TIBI LAUS PERENNIS ADSIT!

αὐτοχρῆδ.

Johannes Ennlichius, h. t. Pastor Agaviensium.

**V**ix hospes Jenæ, clarus jam civis haberis.  
 Quid causæ fertur? Præclaras indolis artes  
 In cathedrâ summâ Magno sub Præside monstras,  
 Maçte bono facto, mox cernas commoda digna!

Ita Præ-Eximio atque Clarissimo Dn. M. Respondenti,  
 Fauteri atque Amico suo perpetim colendo,  
 animiùs vobet & gratulatur

M. Henricus Ammersbach, Halberstad.

**Z**u Leipzig / wehrter Freund / hat man Euch vor geehret /  
**W**eil Ihr die Weisheit da gelernet und gelehret /  
 Ey wie viel größer Ehr habt Ihr hier schon bereit /  
 In dem Ihr dieses schreibt vom Grund der Seeligkeit?  
 Und dieses Euer Lob kan niemals untergehn /  
 Es muß zu aller Zeit den Sternen gleich bestehn.

Carol von Griesen.

F I N I S.



01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309




Sb.

VD 17











13. 14

CRUCIFIXO PRINCIPE!  
ΛΥΤΡΟΝ ΙΣΟΡΡΟΠΟΝ  
**DEO PATRI**  
PRÆSTITUM:

*SIVE,*  
Ignominiosissimam Jesu Christi  
Passionem, quoad τὰ ἐν κύκλῳ in pauca  
collatam,

PRÆSIDE  
**JOHANNES TOBIA MAJORE**  
Doctore Theologo, Professore Publico, & Fa-  
cultatis suæ hodiè Decano,

*Publicæ συζητήσεως χάριν*  
HORIS ET LOCÔ SOLITIS,  
*AD DIEM VII. MARTII*

*Σὺ θεῶ exhibebit*  
**M. SAMUEL BACKHUSIUS,**  
CIZENSIS MISNICUS.

---

**F E N Æ,**  
E CALCOGRAPHIO SENGENVVALDIANO,  
*ANNO, 2100*  
*Merita patienti Christo DatVr gLoria.*